

Theol.

2549

2549

167 MEDULLA

QUAM EX CEDRIS ECCLES IÆ IN SUMMAM
COLLEGIT

AQUILA GRANDIS
DIVINÆ MENTIS INTERPRES
ANGELICUS ET QUINTUS ECCLE-
SIÆ DOCTOR

DIVUS THOMAS AQUINAS,

Hoc est

Ex universa Summa Angelica & Theo-
logica Selectæ Conclusiones.

QVAS

In studio generali græcensi f. f. ord. præd. publico certa-
mini exponit Fr: JOANNES BAPTISTA VOLGER ejusdem
Ordinis SS. Theologie studens formalis

DIE ANNO 1688.

GRÆCIJ, apud Hæredes Widmanstadij.



M+R

GERMANY 1130

18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
0

EXCELLENTISSIMO ET ILLU-
STRISSIMO

Domino Domino

GEORGIO
DOMINO A STUBENBERG IN
KAPFENBERG,

Domino in Guettenberg, Stubegg,
Mueregg, Frauenburg, Schalleburg, Sich-
tenberg &c. &c. supremo Hereditario Styriæ Pincernæ,
Sac. Cæs Majest: Intimo actuali Consiliario, Camerario,
Et inclytæ Provinciæ Styriæ supremo Capita-
neo &c. &c.

Nee non

Reverendissimis & Illustrissimis Inclytis Ducatis Styriae
Deputatis,


Patriæ Patribus Dominis Dominis
Reverendissimo & amplissimo Domino MICHAELI JO-
SEPHO Præposito Pöllensi &c. &c.

Illustrissimo Domino JOANNI RUDOLPHO Comiti à
SAURAU, Præsidi &c. &c.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino GEORGIO SI-
GEFRIDO Comiti de DIETRICHSTEIN &c. &c.

Illustrissimo Domino
SIGISMUNDO FRANCISCO Comiti à WAGEN-
SPERG, &c. &c.

Mæcenatibus Gratiissimis



Excellentissimi, Reverendissimi
ET
Illustrissimi Proceres, Patriæ Patres Patroni
colendissimi



Eberentur quidem beneficijs Vestris abundè in
Conventum nostrum aggregatis, perpetuae
recordationis statue, & insignia vestre erga
Nos benevolentiae monumenta. Hæc jam
pridem ereximus non quidem marmori, sed
animis nostris medullitùs insculpta, & firmiori innixa basi.
Collabuntur enim longioris ætatis perfido denec absumpcta mar-
mora: aut temporis obliterantur injurijs ast in mentibus, gra-
tis, velut cedrinis quibus dā Medullis, fixa semper & perennis
vigeret & floret memoria Beneficentie. Hanc latére diutius no-
lui, sed, ne injuriosi notam incurrerem, debui eam publico,
quantum apud nos vigeat, comprobare testimonio, non satis qui-
dem dignò, Vestrâ tamen gratiâ dignandò. Explicaretur hic
campus seriem exponendi effusorum in nos vel à Vobis vel à
Primoribus Vestris Inclita Styriae Nostræ Proceribus beneficio-
rum, quæ statim ab incunabulis admissæ in Græcum Religionis
nostræ ab anno facile Millesimo quadringentesimo largiori ma-
nu contulisti, imò coaceruâstis, quia tamen ea recensere Vestra
non sustinet innata modestia, satiùs dux imus Vestris parere jus-
si-

sibus, & silere. Verum prohibere non potestis ne aliquale sal-
tem gratitudinis in Vos nostræ pensum exolvamus, ne diutius,
obearati permaneamus creditores: Siuam proinde debitornm
redimimus ex Summa Angelo-Theologica, (an potius Theo-An-
gelica?) Sanctissimi nostri Preceptoris THOMAE AQUINA-
TIS, tot monetis quo^r propositis Thesibus quo^r verbis, quo^r ap-
cibus computandam. Et, ut medulla hæc tantò sit Vobis ac-
ceptior, quanto à gratiore accepta, Vestras gentilitias tesseras
cum Aquila transmittimus: scilicet, quod longè antè sine
Vestraquam Nostræ Conclusiones in gratiarum Vestrarum illu-
strissimis & Reverendissimis sinubus conclusæ. Favete proinde,
atque pari benevolentia suscipite quæ animi propensione ex-
hibemus.

Sic Vovet

Fr: Joannes Baptista Volger
Ord: Præd:

Ali-



I.

Audiūt scire quid Credere debeamus, quod docet fides, aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum pījs o-
pitulatur & contra impios defendatur, quod proprio
appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. S:
Aug: lib: 14 de Trin: cap: 11. (1.) Ergo necessarium
est ad humunam salutem, quod sit doctrina quādam secundūm re-
velationem divinam pāter philosophicas disciplinas, quāe ratione
humānā investigantur.

Discamus in terris illa quorum sciētia perseverat nobiscum
in cœlis S. Hyeron: ad Paulinum. (2.) Ergo Theologia prout
est in nobis viatoribus est verē & propriè dicta scientia. Si radix
sancta & rami sancti Rom: 2. (3.) Ergo Theologia est habitus en-
titativē supernaturalis.

II.

Quidam versū attendunt ad ea quāe in ista scientia tractantur,
& non ad rationem secundūm quam considerantur, affig iaverunt
aliter subiectum hujus scientiæ, vel res, & signa, vel opera repara-
tionis, vel totum Christum, id est caput & membra, de omnibus
enim istis tractatur in ista scientia, sed secundūm Ordinem ad DE-
UM S: D: 1 p q 1. a 7 (4.) Ergo subiectum Theologiæ est DEUS
secundūm absolutam rationem Deitatis. Multa dicuntur esse in
DEO & quidem sane Catholicéque, sed multa unum, alioquin si
diversa putamus, non quaternitatem habebis sed centereitatem. S.
Bern: lib: 5. de confid: (5.) Ergo distinctio media scotica inter at-
tributa & essentiam, & attributa inter se repugnat.

Quidam dicunt quodd ipsa attributa non differant nisi penes
connotata in creaturis, quod esse non potest. S: D: in 1. dist: 2. q 1.
a 2. (6.) Ergo distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ præ-
supponentis virtualem.

III. Ego

III.

Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israe l: qui est misit me ad vos
Exodi 3. Miratus sum planè tam absolutam de DEO significatio-
nem nihil enim magis proprium DEO quām esse intelligitur. S. Hy-
larius (7.) Ergo primarium entis creati constitutivum est esse ab
alio.

Sentire & intelligere & hujusmodi, quandòque accipiuntur pro
quibusdam operationibus, quandóque pro ipso esse sic operantium.
S: D: 1 p q 15, a 2 ad 1. (1.) Ergo intelligere actuale est constituti-
vum naturæ Divinæ prout ab attributis & relationibus distinguitur.

Ubi perfecta bonitas invenitur in uno simplici simplex est no-
bilius quām compositum, quando autem è contrario simplex est im-
perfectū, compositū vero perfectūtunc compositū est nobilius quām
simplex. S: D: in 4. dist: 11. q 2 a 1 qula 1. ad 1. (9.) Ergo simplicitas ex
genere suonon dicit perfectionem. (10.) Ergo nec imperfectionē.

IV.

De Deo dicitur quòd est vita, & non solum quod est vivens ut
patet Ioann: 4. Ego sum via, veritas, & vita. S: D: 1. p q 3, a 3. (11)
Ergo DEUS non est compositus ex materia & forma (12) Ergo
nec ex natura & supposito. (13.) Ergo nec est essentia & existentia.

Stultum est dicere DEUM esse in eo quod nihil est. S. Bonav:
in 1. dist: 37. puncto 2 a 1 q 2 (14.) Ergo Deus defactò non exi-
stit in ipsatijs imaginarijs.

Antequām fecerat DEUS cœlum & terram ubi habitabat? in se.
S: Aug: in psal: 122. (15.) Ergo dic ubi tunc esset, cum præter eum
nihil esset, tunc, ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.

V.

Essentia Divina ab intellectu Creato videri non potest nisi per
lumen gloriae. S: D: 22. q 175 a 2, (16.) Ergo implicat DEUM vi-
deri intuitivè sine lumine gloriae.

Facultas autem videndi DEum non competit intellectui creato
secundùm suam naturam. S: D: 1. p q 12 a 6 (17.) Ergo possibilitas
visionis DEI ut est in se solo, lumine naturali non est demonstra-
bilis,

Divina substantia non sic est extra facultatem intellectus cre-
ati quasi aliquid omnino extraneum ab ipso: sicut est sonus à visu,
sed est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem
ejus, sicut excellentia sensibilia sunt extra facultatem sensibilium. S:
D: 3. cont: gen: cap: 53. (18.) Ergo visio beatifica saltem facta re-
velatione Theologicè est demonstrabilis.

VI.

In lumine tuo videbimus lumen, non autem per aliquam similitudinem creatam DEI essentia videri potest, quæ ipsam essentiam
repræsentet ut est in se. S: D: 1. p q 12 a 2. (19.) Ergo in visione
beata defacto non datur species creata. (20.) Ergo de potentia DEI
absoluta impossibilis est talis species.

Essentia DEI est ipsum esse ejus, quod nulli formæ creatæ
competere potest. S: D: ibidem. (21.) Ergo implicat etiam species
expresa creata in visione clara & intuitiva DEI.

Unaquæque forma indita rebus à DEO habet efficaciam respe-
ctu alicujus actus determinati, in quem potest, secundum suam
proprietatem, ultro autem non potest nisi per aliquam formam sup-
peradditam. S: D: 12. q 109. a 1 (27.) Ergo non datur potentia
obedientialis activa.

In qualibet re est capacitas, ut DEUS præter vel super naturam
faciat in re quidquid voluerit. S: D: 3. p q 1. a 3. ad 3. (23.) Ergo in rebus
creatis datur potentia obedientialis passiva.

VII.

Cùm DEUS sit in summo immaterialitatis, sequitur quod ipse
sit in summo cognitionis. S: D: 1. p q 14. a 1. (24) Ergo DEUM
esse intelligentem optimè demonstratur ex ejus immaterialitate.
Rom: 2. ò alitudo divitiarum sapientia & scientia DEI, respondeo
dicendum, quod in DEO perfectissimè est scientia. S: D: 1. p q 14.
a 1. (25,) Ergo in DEO est scientia non solum eminenter, sed eti-
am formaliter.

Similitudo est de ratione imaginis, & imago aliquid addit su-
pra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex alio expressum. S: D:

i. p q 93 a 1. (26.) Ergo non cognoscit DEUS creatureas in essentia sua sicut in imagine.

Cognitio creature in se decoloratior est, quam cum in DEI sapientia cognoscitur veluti in arte per quam facta est. S: Aug: lib: 22. de civit: cap: 2. (27.) Ergo DEUS cognoscit in se ipso tanquam in causa, scitque omnia uno causa complexu.

VIII.

Sicut potentia motiva quae est ad utrumlibet exit in actum nisi per potentiam appetitivam determinetur ad unum, ita nihil quod est ad utrumlibet exit in actum nisi per aliquid determinetur ad unum. S: D: 2. phys: cap: 8. (28.) Ergo a principio indifferenti quatenus tali non potest provenire determinatus effectus.

Ideo nescio (*: an scilicet aliquid sit futurum vel non futurum:*) quia quid habeat hac de re voluntas DEI me latet, illud tamen me non latet, sine dubio futurum, si hoc voluntas DEI habet. S: Aug: lib: 26. contra faustum cap: 4: (29.) Ergo nihil est certe & determinate futurum ante decretum, & prædefinitiorem divinæ voluntatis.

IX.

Sicut scire Divinum est subiectum libertati voluntatis, ita & idea secundum quod ad illam terminatur actus Divinæ scientiæ. S: D: in I. dist: 19. q1. a 2. ad 1. Ergo sicut divina scientia nihil cognoscit ut futurum nisi quatenus est subiecta decreto, ita idea nihil representat ut futurum nisi ut illi subest.

Actus prædestinationis cum mensuretur aeternitate nunquam cadit in præteritum, sicut nunquam est futurus, sed semper consideratur ut egrediens a voluntate per modum libertatis. S: D: de veritate ad 10. (31.) Ergo DEUS non cognoscit futura contingentia & libera in suo decreto ut futuro, seu in comprehensione suæ voluntatis ante decretum exercitè existens.

Quicunque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. S: D: 1. p q 14. a 13. (32.) Ergo DEUS non cognoscit certo futura contin-

gentia in causis liberis, & contingentibus ante decretum.

Futurum contigens non est determinatè verum antequam fiat, quia non habet causam determinatam. S: D: in 1. dist: 38. q 1 a 5. ad 2 (33.) Ergo propositio de futuro contingentи non habet determinatam veritatem objectivam ante decretum, in qua DEUS certò cognoscat futura contingentia.

X.

Prædestinatione DEUS ea cognovit, quæ ipse erat fakturus S: Aug: de prædes: SS. cap: 10. (34) Ergo DEUS cognoscit futura contingentia absolute in suo decreto efficaci.

Quām multi nostri jam dies, & patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, & transibunt adhuc alij, tu autem idem ipse es, & omnia crastinā atque ultimā, omnium hesternā, & retro hodie facies, hodie facis, hodie fecisti, quid ad me si quis non intelligat? S: Aug: lib: 1. confess: cap. 6. (35) Ergo futura contingentia sunt DEO ab æterno præsentia nō solùm objectivè ratione sive præscientiæ, sed etiam realiter & physicè ratione æternitatis.

Universas creaturas suas spirituales aut corporales non quia sunt ideo novit DEUS sed ideo ~~sunt, quia novit, non enim~~ nescivit quæ erat creature, quia ergo scivit, creavit, non quia creavit scivit. S: Aug: 15. de Trin: cap. 13. (36) Ergo hæc propositio: ideo res sunt futuræ, quia sciuntur à DEO, est vera in sensu causali; hæc verò, ideo res futuræ cognoscuntur à DEO, quia futuræ sunt, in sensu causali est falsa, & solùm vera in sensu illativo.

X I.

Si DEUS prædestinasset aliquos eorum, quia prævidisset bene operaturos, & non potius præscivisset bene operaturos quia prædestinasset, sè queretur fallum esse, quod dixit Christus ad discipulos suos Ioann: 15. non vos me elegistis sed ego elegi vos non quia prævisi fuissent credituri, & bene operaturi ideo fuissent electi, adeoque electi quia ipsi prius elegerunt Christum secundūm prævisionem, electi sunt ante mundi constitutionem, è prædestinatione quā DEUs sua futura facta præscivit. S: Aug: de prædest: SS, cap: 17 (37)

Ergo S. Augustinus scientiam medium reprobavit. Ea quæ sentit Romana Ecclesia de gratia, & libero arbitrio ex libris S. Augustini maximè ad Hylarium & Prosperum cognosci potest. Hormisda Papa ad possessorem. (38.) Ergo cùn Augustinus rejicerit scientiam medium ab omnibus est. Reijienda,

XII.

Fiat voluntas tua. Math: 6. & 26. (39.) Ergo in DEO est voluntas. Nulla vis appetitiva constituit aliquem gradum viventium. S: D. 1. p q 78. a 1. (40.) Ergo voluntas DEI non est de conceptu formalissimo naturæ Divinæ velut constitutivum ipsius metaphysicæ, sed eam integrè constitutam supponit.

Cum DEUS alia à se non velit nisi propter finem qui est sua bonitas, non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas Sua. S: D: 1. p q 19 a 2. ad 2. (41.) Ergo objectum tam motivum quam terminativum Divinæ voluntatis est sola bonitas Divina increata. (42.) Ergo creaturæ sunt objectum ipsius solum materiale & secundarium.

XIII.

I. Corinth: 12. *Hac omnia operatur unus arque id in spiritu dividens singulis prout vult;* id est pro liberæ voluntatis arbitrio non pro necessitatis obsequio. S: Ambrosius (43.) Ergo Deus respectu creaturæ gaudet perfectissimâ libertate.

Cum bonum intellectus sit objectum voluntatis, impossibile est DEUM velle nisi quod ratio suæ sapientiæ habet S: D. 1. p q 21. a 1. ad 2. (44.) Ergo quo ad specificationem necessitatur Divina voluntas ad bonum ratione suæ sapientiæ regulatum.

Ipsa enim mutabilitas umbra est, quæ quasi DEI obscuraret lumen si hanc per alias vicissitudines permutaret, sed quia in DEO mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra intercedet. S: Greg: lib: 12. moral: cap: 17. (45.) Ergo voluntas Divina non potest manere suspensa citca productionem vel non productionem creaturarum.

XIV. Ef.

XIV.

Effectus misericordia^e DEI non potest esse in hominis potestate, ut frustra ille miseretur, si homo nolit, si enim DEUS misereatur, ergo jam volumus, ad eandem quippe misericordiam pertinet, ut velimus, *DEUS enim est, qui in nobis operatur velle & perficere.* S: Aug lib. 1. a simpl. q 2. (46.) Ergo DEUS habet decreta ex se, & ab intrinseco efficacia quibus prædefinit & prædeterminat omnes actus causarum secundarum tam liberos quam necessarios. Ea quæ sunt omnino quatenus sunt & bona sunt, & a bono, quatenus autem privata sunt bono, non bona sunt, nec constant. S: Dyonis: cap. 4. de div: nom: (47) Ergo actus peccati quatenus ens & actus est & constat, est a DEO physicè prædeterminante ipsum.

Oblationibus nostris quæsumus domine placare suscepitis & ad te nostras etiam REBELLES COMPELLE PROPITIUS VOLUNTATES. Ecclesia in secreta missæ Dom: 4. post Trin: (48.) ergo efficacia intrinseca decretorum DEI non obest libertati.

XV.

Sensus compositus non est ille qui in argumento insinuat^r, quod videlicet, quando gratia efficax est in voluntate non possit voluntas non agere actum illum ad quem determinatur, ablatâ verò motione possit non agere, hic enim sensus Confictus fuit a Calvino. Alvarez lib: 2. resp. cap. 1. (49.) Ergo gravem injuriam iuferunt Thomistis, qui scribere audent, quod quando Thomistæ dicunt, liberum arbitrium motum & excitatum dissentire posse in sensu divisio non autem composito, id est ablatâ motione posse dissentire non autem stante matione: nam omnes Thomistæ confitentur stante motione efficaci ad agendum, sensum compositum & divilum locum habere, & non intendunt (ut Caluinus fecit) Seiungere liberum a gratia, sed actum ab actu. Non ideo effectus voliti a DEO eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes, sed propterea, quia DEUS voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit. S. D. 1. p q 19. a 8. (50.) Ergo prima radix nostræ libertatis est voluntas DEI præcisè ex hoc quia creavit

nostrum liberum arbitrium, & alias causas defectibiles. (51.) Ergo nec ipsa libertas DEI, (52.) Ergo summa efficacia Divinæ voluntatis profundens & statuens contingentiam & libertatem.

XVI.

DEO Conveniens est homines prædestinare. S. D. 1. p q 23. a. 1. (53.) ergo dafaçto aliquos prædestinavit.

Propter quod profecto desipitis, qui dicente veritate, *non ex operibus sed ex vocante dictum est: vos* dicitis ex futuris operibus quæ DEUS illum factum, præsciebat Jacob fuisse dilectum, atque ita contradicitis Apostolo dicenti; non ex operibus, quasi non posset dicere non ex præsentibus sed futuris operibus. S. Aug. contra 2. Epist. pelag: & in Euch: cap: 8. (54.) Ergo electio prædestinatiorum ad gloriam est omnino gratuita, & ante prævisa merita.

Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quam præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur. quicumq; liberantur S: Aug: de dono persever. cap: 14. (55.) Ergo gratia, bonus usus liberi arbitrij sunt effectus prædestinationis.

Nec requiritur quare non dem alicui, cui dare non debeo. S: D: 1. ad Hanibaldum dist: 41. q unicā a 3. (56) Ergo reprobatio ut dicit exclusionem à gloria tanquam beneficio indebito, non habet pro motivo prævisa demerita, seu peccata actualia.

XVII.

Quicunque hoc ipso quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens, & ex ejus notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis. S: D: 1. pq 27. a: (57.) Ergo pater in divinis verè est principium filij.

Sola relatio in Divinis Trinitatem multiplicat. Boëtius lib. de Trin (58.) Ergo si spiritus sanctus non procederet à filio non distingueretur ab ipso.

A Patre exire & venire in hunc mundum misti est. S: Aug: lib. 2. de Trin: cap: 5. (59.) Ergo missio Divina per se & primariò im-

portat personam procedentem, & secundariò connotat effectum temporalem.

XVIII.

Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia & forma, sequitur quod impossibile sit duos Angelos esse ejusdem speciei S: D: 1. p q 50. a 4. (60.) Ergo implicat duo Angeli sub eadem specie infima.

Sivè in lapsu diaboli sivè in prævaricatione hominis initium peccati superbia est. S: Amb: Epis: 84 ad Demet- (61.) Ergo primum Angeli peccatum fuit superbia.

Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ sine subjectione ad superiorem. S: D: 22. q 162. (62.) Ergo primum Angeli peccatum nec potuit aliud esse quam superbia.

XIX.

Cur ergò per multa vagaris hominio quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? ama bonum in quo sunt omnia bona, & sufficit. desidera simplex bonum quod est omne bonum. & satis est. S: Ansel: cap: 25. prosol: (63.) Ergo beatitudo objectiva consistit in solo bono increato.

Quid aliud est beatè vivere, nisi æternum cognoscendo aliquid habere S: Aug: lib: 83. q q. q 35. (64.) Ergo beatitudo nostra formalis assentialiter in sola DEI visione consistit.

XX.

Prima bonitas moralis in actu attenditur ex objecto convenienti S: D: 12. q 18. a 2. (65) Ergo bonitas moralis consistit in respectu transcendentali ad objectum ut consonum regulis morum.

Malum in quantum hujusmodi privatio est, & ideo diversificatur specie, secundum ea quæ privantur, sicut & cæteræ privationes, sed peccatum non sortitur speciem ex parte privationis vel aversionis, sed ex conversione ad objectum, S: D: q 72 a 9. a 1. (66) Ergo species mali moralis in peccato commissionis non consistit in denominatione extrinseca sumpta à regula rationis quatenus non regulatur. (67.) Ergo neque in relatione rationis. (68.) Ergo neque in privativo, aut positivo & privativo simul. (69.) Ergo in or-

dine reali & positivo ad objectum dissonum legi ad quam consequuntur privationes.

Voluntas in omni actu aut bona est aut mala : S: Aug: lib: de pec: merit: & remiss: (70.) Ergo omnis actus à de liberata ratione procedens in individuo est bonus vel malus.

XXI.

Si prævaricantes sunt omnes peccatores terra , nullum utique est sine prævaricatione peccatum, nulla autem est prævaricatio sine lege . nullum igitur est nisi in lege peccatum. S: Aug: in psal: 118. concione 25. (71) Ergo peccatum optimè definitur dictum factum vel concupitum contra legem æternam.

Si autem consideratur id, quod requiritur ad peccatum ut causa peccati, sic oportet quod ad quodlibet peccatum etiam omissionis aliquis actus requiratur. S: D: q 2. de malo a 1. (72) Ergo in exercitio, non solum moraliter, sed etiam physicè & metaphysicè loquendo impossibile est dari omissionem culpabilem sine omni actu positivo voluntatis vel antecedente vel concomitante qui sit causa vel occasio illius.

XXII.

Voluntarium non solum dicitur quod procedit à voluntate directè sicut ab agente, sed etiam quod est ab ea indirectè. S: D: 12. q 6 a 3. (73.) Ergo omnis actus qui est causa omissionis actus praecipi est peccaminosus.

Peccatum non est privatio pura sicut tenebræ, sed est aliquid positivum S: D: q 2. de malo a 11 ad 13. (74.) Ergo ratio constitutiva peccati commissionis non consistit in pura privatione.

Bonum & malum non sunt differentiae nisi in moralibus in quibus malum positive aliquid dicitur, secundum quod actus voluntatis denominatur malus à volito. S: D: q 1. de malo a 1. ad 12. (75.) Ergo ratio formalis constitutiva peccati actualis commissionis non consistit in positivo & privativo simul, sed adæquatè consistit in positivo scilicet in tendentia actus humani ad objectum ut diforme regulis morum.

Quæ-

Quæcumque peccata avertunt à DEO charitatem afferentia quantum est de se inducunt reatum pœnæ æternæ S: D: 12. 87 a 3. (76.) Ergo peccata mortalia per se inducunt reatum pœnæ æternæ.

Peccatum veniale in eo qui decedit cum mortali, quia non remittitur æternâ pœnâ punitur propter gratiæ parentiam. S: D: q 5. de malo a 2 ad 8. (77.) Ergo per accidens peccatum veniale inducit reatum pœnæ æternæ.

XXIII.

Fides formata & informis non differunt specie, sicut in diversis speciebus existentes, differunt autem sicut perfectum & imperfectum in eadem specie. S: D: 22. 15. ad 3. (78.) Ergo fides informis & à charitate separata est quidem vera, sed non perfecta virtus.

Idem autem est subiectum principiorum, & totius scientiæ, cum tota scientia virtute contineatur in principijs. S: D: 1. p q 1. a 7. (79.) Ergo cum DEUS sub ratione Deitatis sit subiectum Theologiae, etiam sub ista ratione erit subiectum formale fidei.

Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota & per consequens visa & ideo oportet quæcumque sunt scita aliquo modo esse visa. S: D: 22. q 1. a 5. (80.) Ergo non est possibile quod idem ab eodem sit scitum & creditum, seu quod circa idem secundum eandem rationem in eodem subiecto sit simul actus vel habitus scientiæ, & fidei. Quantumvis hoc postremum disputationis gratia problema velimus.

XXIV.

Et ideo patet quod Spes est virtus, cum faciat actum hominis bonum & debitam regulam attingentem, S: D: 22. q 17. a 1. (81.) Ergo spes prout hic sumitur est vera virtus.

De fide tamen multa nobis mandata sunt? quam multa de spe? S: Aug: trac: 83. in Io: (82.) Ergo spes est necessaria necessitate præcepti.

Quia ergo bonum arduum possibile non cedit sub ratione spei, nisi secundum quod est futurum, ideo cum beatitudo (respon-

Etu Beatorum) jam non fuerit futura sed præsens non potest ibi esse virtus Spei. S: D: 22. q 18. a 2. (83.) Ergo spes ut virtus Theologica non habet locum in Beatis.

XXV.

Quantitas cujuscumque animæ estimatur de mensura charitatis quam habet ut u: g: quæ multum habet charitatis magna sit, quæ parum parva. S: Bern: serm: 27. in cant: (84) Ergo charitas est omnium carismatum eminentissimum.

Sine charitate potest esse quidem si quis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia de est debita ordinatio ad ultimum finem. S: D: 1. p q 24. a. 7. (85.) Ergo secundum Theologum nulla est simpliciter vera virtus sine charitate. (86.) benè secundum Phylosophum.

Charitas autem est amor, de cuius ratione non est aliqua imperfectio, potest enim esse habiti vel non habiti, visi & non visi. S: D: 12. q 67. ab. (87.) Ergo charitas non evacuat per gloriae perfectionem, sed eadem manet numero in via & in Patria.

XXVI.

Dicendum quod contingit aliquando in relativis aliquid relativè dici non quia ipsum reffertur, sed quia alterum reffertur ad ipsum, & sic scibile reffertur ad scientiam, & in talibus aliquid dicitur de novo quod prius non dicebatur nullâ mutatione factâ in ipso sed circa alterum: ideo DEUS dicitur uniri non per mutationem sui sed ejus cui unitur. S: D: 3. p q 1. a 1. ad 1. (88.) Ergo verbum Divinum per unionem cum humanitate non est intrinsecè mutatum. (89.) Ergo nec innovatum.

Hoc autem est proprium Divinæ personæ propter ejus infinitatem ut fiat in ea concursus naturarum non quidem accidentaliter sed secundum substantiam. S: D: 3. p q 1. a 1. ad 2. (90) Ergo de potentia DELoluta potest terminare alienam naturam persona Divina.

Et in hac descriptione (:scilicet quæ facta est à Cesare Augusto) solvebatur census sine tributum, ut historiæ tradunt in recognitio-

nem

nem debitæ servitutis, non sine mysterio, quia ille natus erat, qui verus erat mundi Dominus & Monarcha cujus vices gerebat Augustus. S: D: lib: 3. de reg. principum cap: 13. (91.) Ergo Christus fuit, & est monarcha & Princeps mundi, non in spiritualibus solum sed etiam in temporalibus.

XXVII.

S: Aug: tract: 80. in Evang: Io: post medium tom: 9. dicit: accedit verbum ad elementum & fit sacramentum (92.) ergo Sacramentum semper est aliqua res sensibilis.

Glossa ord: super illud Rom: 5. similitudinem prævaricationis Ad: S: dicit: ex latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacra menta, per quæ salvata est Ecclesia (93.) ergo Sacra menta nova legis specialiter habent virtutem causativam gratiæ ex passione Christi.

Ad Hæb: 5. dicitur, omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad DEUM (94.) ergo non Angeli sed soli homines sunt ministri Ordinarij Sacramentorum, licet de potentia DEI absolute etiam Angeli sacramenta ministrare possint.

XXVIII.

Noli credere, noli dicere, noli docere infantes ante quam baptizentur morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum si vis esse Catholicus. S: Aug: lib. 3. de orig: animæ cap: 9. (95.) ergo Baptismus est necessarius ad salutem non solum necessitate præcepti sed etiam medij.

Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi atque ideo verba illa Domini Nostri IESU Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto ad methapharum aliquam detorserit anathema Sit. Con: Trid: less: can: 2. de bapt: (96.) ergo aqua vera & naturalis est materia baptismi.

Qui lotus est non indiget nisi ut pedes laveret. Quæ verba dixit Christus quia Petrus jam erat lotus per baptismum. S. Aug: Epist:

108 (97.) ergo baptismus ut est verum Sacramentum fuit iustitius
tus ante passionem Christi.

XXIX.

Dicitimus unguenti compositionem esse collectionem siaviter
spirantium materiarum. S: Dyon: cap: 4. de Ezecl: Hier: (98.) Ergo
materia remota Confirmationis est Crisma ex oleo olivarum, &
balsamo confectum, consecratum ab Episcopo consecrato.

Panis & vinum materialiter quidem sunt plura signa, formaliter
vero & perfectivè unum in quantum ex eis perficitur una refe-
ctio. S: D: 3. aq 73. a 2. (99.) Ergo Sacmentum Eucharistie est
unum unitate perfectionis, & integratatis, & quidem unitate speci-
ficâ attomâ.

XXX.

Vox est ista, naturæ de peccatis commissis pænitendum est. S:
Aug: lib: de duabus animabus cap. 14. (100.) Ergo peccata non re-
mittuntur sine pænitentia virtute.

Confessio potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest
peccata sua consideri sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ se subiçere, &
quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen receden-
te fictione percipere incipiat. Et sic etiam in alijs sacramentis,
unde non tenetur postea nisi fictionem suam confiteri, S: D: in supl.
q9. a 1. (101) Ergo potest dari confessio informis, quæ tamen sit
valida, qui aliter quam præcente parocho vel alio sacerdote de
ipius parochi seu ordinarij licentia & duobus vel tribus testibus ma-
trimonium Contraheret eos sancta synodus ad sic contrahendum
omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos
esse decernit, prout illos præsenti decreto irritos facit & annullat.

Conc. Trid: sess: 24. decreto de refor: matr: (102.) Ergo jure
novo matrimonia sunt invalida sic Contracta.

FINIS.